

M N E M O S Y N E.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. BRAKMAN, A. W. BYVANCK, D. COHEN, P. J. ENK, P. GROENEBOOM,
B. A. VAN GRONINGEN, A. J. KRONENBERG, J. C. NABER,
A. G. ROOS, M. C. VALETON, H. WAGENVOORT, J. VAN IJZEREN.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUINQUAGESIMUM QUARTUM.

LUGDUNI-BATAVORUM

E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.

1926.

DE DEMETRIO PHALEREO.

SCRIPSIT

D. COHEN.



Clio est Musa et venusta et crudelis. Quos amat laudibus extollit; quos odit e memoria hominum eicit. Qui factis gloriosis, rebus bene gestis, sermone etiam splendido enituerunt, eis famam aeternam tribuit; at qui modesti opus difficile et salutare silentio perfecerunt, eos plerumque oblivioni tradit. Ut e multis unum exemplum afferam: nemo est quin noverit res gestas Demetrii illius Poliorcetae qui ut suavitate faciei mentisque permultos sibi conciliavit ita fulgure animi plures perdidit, qui temeritate et pugnandi studio multas terras incendiis inflammavit; quam pauci autem bene cognoverunt alterum illum Demetrium, Phaleri natum, qui per decem annos Athenis praefectus pacem felicitatem opes urbi suae praebebat. Operae igitur est pretium quid hic praestiterit iterum investigare. Nam quamquam satis multi id iam conati sunt, fortasse nobis continget ut administrandi ratione, qua Athenis utebatur, bene explorata adhibitis papyris nuper inventis quid exsul patriae in Aegypto perfecerit melius intellegamus. Propositum autem mihi est totam materiem in tres partes dividere; quarum prima aget de Demetrio Athenis praefecto, secunda de legibus quas Alexandriae tulisse videtur, tertia de Demetrio bibliothecae Lagidarum principe.

I.

De Demetrio Athenis praefecto.

Iam primum qua de causa Demetrius rei publicae moderationem susceperit exponere opus est. Alexandro Magno mortuo

Antipater anno 322 Atheniensibus, qui frustra rebellionem temptaverant, devictis Phocionem praefecit, his condicionibus ut ii modo qui minimum duo milia drachmarum possiderent, iure civium fruerentur, ut leges Solonis magna ex parte restituerentur, ut Areopagi potestas augetur. Phocione autem expulso paucos post annos plebis imperium est restitutum. At anno 317 Cassander Athenis potitus amicum suum Demetrium Phalereum urbis *ἐπιμελητήν* vel *προστάτην* vel *ἐπιστατήν* nominavit. Qui officio suo ita fungebatur, ut fere nunquam Athenas magis floruisse plerique auctores antiqui et recentes consentiant ¹⁾. Per decem annos urbi praefuit: anno 307 Demetrius Poliorcetes subito oppidum oppressit expugnavit; Demetrius Phalereus Thebas confugit, postea in Aegyptum se contulit, quod regnum tunc temporis viros eruditos ex patria expulsos libenter hospitio recipiebat.

Magnopere est dolendum de tali viro tam pauca ad nos pervenisse. Erat *τρίτος νομοθέτης Ἀθήνησιν* ²⁾ — at quae leges illae erant? *Προσδοίς ἠΰξησε τὴν πόλιν* — at qui erant illi reditus? Sciscitamus — at fere nemo respondet. Qui liber de eo egit Asclepiadis cuiusdam ³⁾, periit. Duo *βίοι* servati sunt: quorum alter apud Suidam obvius nullius pretii videtur, alterum, quem Diogenes Laertius praebet, vitiis non carere apparebit. Itaque contentos nos esse oportet iis quae aut apud auctores nonnullos aut in lexicis aliquot aut in titulis quibusdam forte inveniuntur.

Qui tamen hoc saltem docent eius leges tria genera esse amplexas: pertinebant aut ad augendas res familiares et reditus publicos aut ad artes colendas aut ad leges novas instituendas antiquas renovandas. ⁴⁾

Ut primum agam de iis rebus, quae primi generis erant: valde dolendum est nos nescire quo anno in Attica illum populi recensum habuerit, quo anteriorem nullum in Graecia

1) Cf. e. c. D. L. V, 5, 75: *προσδοίς καὶ κατασκευαῖς ἠΰξησε τὴν πόλιν*; Cic. de rep. II 1: exsanguem jam et jacentem (rem publicam) sustentavit; v. Wilamowitz Aristot. und Athen I p. 363: „die segensreiche Verwaltung des Demetrios”; Beloch Griech. Gesch. IV 148: „Wahrscheinlich ist Athen nie so gut regiert worden”. 2) Syncellus p. 521. 3) Athenaeus XIII p. 567.

4) Ut belgice vertam: economische, kunstlievende en wetgevende maatregelen.

fuisse novimus¹⁾; nam operae pretium esset scire num illud fortasse velut fundamentum habuerit omnium rerum, quas parabat ad statum civitatis restituendum. Hoc tamen constat eum et hoc et alia multa invenisse et perfecisse quod et huius aetatis viri artis c. n. oeconomicae periti probare possint. Quod statim apparet investigando verba Democharis forte apud Polybium XII 13 servata, quibus ille Demetrium accusaverat *τοιούτου προστάτην τῆς πατρίδος γεγονέναι καὶ ἐπὶ τούτοις σεμνύνεσθαι κατὰ τὴν πολιτείαν, ἐφ' οἷς ἂν καὶ τελώνης σεμνυνθείη βάνουσος. Ἐπὶ γὰρ τῷ πολλὰ καὶ λυσιτελῶς πωλεῖσθαι κατὰ τὴν πόλιν καὶ δαψιλῆ τὰ πρὸς τὸν βίον ὑπάρχειν πᾶσιν, ἐπὶ τούτοις Φησὶ μεγαλαυχεῖν αὐτόν.* Propter quam rem autem vir rei publicae praefectus magis est laudandus, quam quod merces multas importandas curando pretia parva praestat et id agit, ut copia rerum omnes cives fruantur? Quo modo ei contigerit, ut praesertim frumentum suppeditaret, fortasse conicere licet ex narratione apud Plut. Demetr. 8 obvia. Ibi enim traditum est naves Demetrii Poliorcetae, cum Piraeo anno 307 appropinquarent, ab Atheniensibus non esse cognitatas *ἀπάντων ὡς Πτολεμαϊκὰς τὰς ναῦς ὑποδέχεσθαι παρασκευαζομένων.* Ptolemaeus tunc temporis Cassandri amicus erat et conicere licet non solum naves longas ex Aegypto esse missas sed etiam frumentum inde Athenas invec-tum satis vili pretio ibi venisse; id quod Demetrium regis Ptolemaei amicum impetrasse facile intelligi potest²⁾. Quod argumentum eo confirmatur, quod statim postquam Poliorcetes Piraeo potitus est, Antigonus Atheniensibus precantibus magnam copiam frumenti dono misit³⁾, verentibus scilicet ne Demetrio Phalereo expulso frumentum Ptolemaeum deesset.

Haec iam satis demonstrant nostrum civitatis saluti optime consuluisse. Quid quod reditus publicos auxit⁴⁾, commercium iuvit⁵⁾, liturgias sustulit et curam ludorum scaenicorum magistra-

1) Apud Athen. VI p. 272 B: *Κτησικλῆς ἐν τρίτῃ Χρονικῶν...? καὶ δεκάτῃ πρὸς ταῖς ἑκατὸν Φησιν Ὀλυμπιάδι ἔξετασμον γενέσθαι ὑπὸ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως τῶν κατοικοῦντων τὴν Ἀττικὴν.* De anno cf. P. W. IV 2827.

2) Cf. Bouché-Leclercq, Hist. des Lagides I 64; Diod. XX 37, 2.

3) Diod. XX 46, 4. cf. etiam Syll.³ 367 l. 16 et 409 l. 29.

4) Athen. XII 542.

5) Diod. XIX 103, 4.

tui cuidam mandavit, luxum coercuit funerum sepulcrorumque magnificentiam minuendo et gynaeconomos instituendo qui numerum convivarum et cenarum apparatus inspicerent ¹⁾. Praeterea si pauca admodum eius facta nota esse, multo plura nos fugere nobiscum reputamus, iam prudentiam doctrinam fortitudinem, qua commodis civium serviebat, admiramur.

Accedit quod etiam possessionem agrorum moderabatur. Ferguson ²⁾ observavit in lapidibus plerisque, qui terminos agrorum in Attica indicabant, inde ab anno 316 et nomen archontis fuisse inscriptum et nomen eius viri, apud quem pactum ipsum ad agri possessionem pertinens erat depositum. Cum autem ea antea nunquam addita fuerint, arbitratur eam condicionem, qua rixae facile solverentur, a Demetrio Phalereo esse institutam. Quin etiam idem vir doctus suspicatur testamentorum quoque et *δόσεων* exempla inde ab illius aetate magistratui vel viro privato cuidam custodienda esse tradita. Tales leges securitati possessorum magnopere cavisse multis verbis exponere opus non est. ³⁾

Haec de primo legum genere. Quod ad secundum attinet, multa de eius luxuria antiqui fabulati sunt. Quae tamen maxima ex parte aut falso a Demetrio Poliorceta ad eum esse translata aut ab eius obtrectatoribus esse ficta videntur. Immo ut erat vir doctus et elegans luxum quidem eum amasse apparet, sed luxum cum arte coniunctum. Choros praeclaros duxisse traditur ⁴⁾, Homeristas in theatrum introduxisse ⁵⁾, multa aedificia restituisse et ornavisse, licet paucis sumptibus, quia mediocritatem in largitionibus optimam regulam ducebat ⁶⁾. Etiam

1) De his rebus uberrime agere supervacaneum est, quia alii id optime fecerunt; inter quos nominandi sunt Ostermann, De Demetrii Phaleronis vita, rebus gestis et scriptis, Hersfeld 1847, Fulda 1857; Martini in P. W. IV s. v. Demetrius von Phaleron; Ferguson, Hellenistic Athens p. 38 sqq.

2) Klio XI 265 sqq.

3) Cf. Cic. De Leg. II 66: „Fuit enim hic vir tuendae civitatis peritissimus”.

4) Demochares apud Polyb. XII 13, 9; Duris apud Athen. XII 542, C.

5) Eustath. ad Iliad. p. 1479: *εἰς θέατρον παρήγαγε βαψωδούς τοὺς καὶ Ὀμηριστὰς καλουμένους* (cf. Athen. XIV p. 620).

6) Cf. D. L. V 75: *κατασκευαῖς ἠύξησε τὴν πόλιν*, id quod confirmatur a Vitruvio Praef. VIII: Eleusinae Cereris et Proserpinae cellam . . . cum Dem. Phal. Athenis rerum potiretur, Phylon prostylon fecit. Cf. Cic. De Off. II, 60: Phal. Dem., qui Periclem vituperat, quod tantam pecuniam in praeclara illa propylaea coniecerit.

scientiae eum operam dedisse mirum non est; tradunt autem Theophrastum καὶ ἴδιον κῆπον σχεῖν μετὰ τὴν Ἀριστοτέλους τελευτὴν, Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, ὃς ἦν καὶ γνώριμος αὐτῷ, τοῦτο συμπράξαντος. ¹⁾

Quibus ultimis verbis alia quoque res indicatur, quam persequi nos oportet, antequam ad leges, quae ad rei publicae administrationem pertinebant, transeamus. Ea enim investigata melius Demetrii indolem et agendi rationem intellegemus. Erat enim noster non solum γνώριμος Theophrasto, sed etiam discipulus. Haec autem summa est Demetrii virtus et gloria quod ea quae Aristoteles et Theophrastus mente excogitaverant et discipulos docuerant, ad rei publicae administrandae usum contulit et in ipsum discrimen aciemque produxit ²⁾; erat ὁ νομοθετικὸς ἀνὴρ quem legibus ferendis civitatem felicem esse redditurum Aristoteles ipse praedixerat ³⁾. Paucis annis postquam is mortuus erat, discipulus perfecerat ea quae magister ut rei publicae maxime salutaria in scholis iterum atque iterum suaserat. Fortunatum eum, qui sui praeconii talem confectorem invenerit!

Nam fere omnia quae Demetrius instituit vel restituit, ab Aristotelis vel Theophrasti doctrina oriunda esse videntur. Iam primum recensum populi Aristoteles non ipsis quidem verbis postulaverat, sed πολιτικῆς χορηγίας πρῶτον esse affirmavit τὸ τε πλῆθος τῶν ἀνθρώπων, πόσους τε καὶ ποίους τινὰς ὑπάρχειν δεῖ φύσει, καὶ κατὰ τὴν χώραν ὡσαύτως, ὅσην τε εἶναι καὶ ποίαν τινὰ ταύτην ⁴⁾. Iam perspicuum est ob id praeceptum Demetrium non solum Athenienses, sed omnes Atticae incolas recensuisse; id enim agebat ut numerus civium et incolarum magnitudini urbis et regionis conveniret, ita ut magister docuerat ⁵⁾. Quin etiam in recensendo, ut Ctesicles tradidit ⁶⁾, separatim dinumeravit et Ἀθηναίους et μετοίκους et οἰκετάς; Aristoteles enim monuerat urbem non magnam esse ducendam κατὰ τὸ

1) D. L. V 39.

2) cf. Cic. de Leg. 3, 6, 14.

3) Cf. v. Wilamowitz Aristoteles und Athen. I p. 359.

4) Politic. IV (VII) 1326a.

5) Fortasse eandem ob causam Phocion multos cives pauperes in Thraciam miserat (Diod. XVIII 18, 4).

6) F. H. G. IV 375 (Athen. VI p. 272 B).

τυχόν πλήθος (ἀναγκαῖον γὰρ ἐν ταῖς πόλεσιν ἴσως ὑπάρχειν καὶ δούλων ἀριθμὸν πολλῶν καὶ μετοίκων καὶ ξένων). Optime igitur magistri praeceptum exsecutus est.

Etiam in liturgiis tollendis consilio eius usus est. In civitate enim melius esse ille scripserat καὶ βουλομένους κωλύειν λειτουργεῖν τὰς δαπανήρας μὲν μὴ χρησίμους δὲ λειτουργίας, οἷον χορηγίας καὶ λαμπαδαρχίας καὶ ὅσαι ἄλλαι τοιαῦται. Sepulcra autem ne operosa fierent iam aliquanto post Solonem lege sanctum erat¹⁾; sed etiam Theophrastus in testamento iussit amicos se sepelire μηδὲν περιεργον περὶ τὴν ταφὴν μήτε περὶ τὸ μνημεῖον ποιούντας²⁾ — id quod Demetrius in omnibus funeribus fieri voluit. Deinde etiam in lege, qua Demetrius edixit ut exempla omnium pactorum apud magistratum quendam vel virum privatum deponerentur, Aristotelis et Theophrasti praecepta agnoscimus. Inter magistratus enim, quibus nulla res publica carere possit, etiam habendam esse Aristoteles dixerat ἀρχὴν πρὸς ἣν ἀναγράφεσθαι δεῖ τὰ ἴδια συμβόλαια³⁾; Theophrastus autem παρ' οἷς, inquit, ἀναγραφὴ τῶν κτημάτων ἐστὶ καὶ τῶν συμβολαίων, ἐξ ἐκείνων ἐστι μαθεῖν εἰ ἐλεύθερα καὶ ἀνέπαφα καὶ τὰ αὐτοῦ πωλεῖ δικαίως⁴⁾. Mirum igitur non est discipulum talem legem ex aliis civitatibus in suam transtulisse.

Sed non solum singulae leges ad Aristotelis et Theophrasti disciplinam referri possunt; immo tota mens et animus et consilium eius summis illis viris obnoxium est. Cum magistratum iniret nomine Cassandri iusserat τὸ πολίτευμα διοικεῖσθαι ἀπὸ τιμήσεων ἄχρι μνῶν δέκα⁵⁾, cum Phocion aliquot annis ante nomine Antipatri προσέταξεν τοὺς κεκτημένους πλείω δραχμῶν δισχιλίων κυρίου εἶναι τοῦ πολιτεύματος καὶ τῆς χειροτονίας. Neque igitur pauperrimis iura pristina reddidit neque tamen divitibus omnia concessit: in medio tutissimus ibat τοῖς μέσοις rem publicam credens. Quid autem et hic aliud nisi Aristotelis praecepta secutus est? Qui τὸ μέτριον ἄριστον καὶ τὸ

1) Cic. De Leg. II 64.

2) Diog. Laert. V 79.

3) Politic. IX (VII) 1321b 34.

4) Theophr. apud Stob. Anth. XLIV 22. De Theophrasto et Demetrio cf. Ferguson, The laws of Demetrius of Phalerum and their guardians, Klio XI p. 270.

5) Diod. Sic. XVIII 74, 3.

μέσον esse praedicaverat; vel alio loco ὅτι ἡ μέση βελτίστη Φανερόν· ὅπου γὰρ πολὺ τὸ διὰ μέσου, ἤκιστα στάσεις καὶ διαστάσεις γίνονται τῶν πολιτῶν; Theophrastus quoque laudaverat τοὺς μέτρια κεκτημένους¹⁾. Huic instituto aliud rei publicae necessarium addidit Aristoteles: nempe τοῦ εὖ ζῆν· τοῦτο δὲ ἐστὶν τοῦ ζῆν εὐδαιμόνως καὶ καλῶς aut ut uno verbo dicam εὐκοσμίας vel εὐταξίας²⁾. Qui autem magistratus id curare debebant? Audi verba magistri: Ἴδιαι δὲ ταῖς σχολαστικωτέραις καὶ μᾶλλον εὐημερούσαις πόλεσιν, ἔτι δὲ φροντιζούσαις εὐκοσμίας, γυναικονομία νομοφυλακία παιδονομία γυμνασιαρχία, πρὸς δὲ τούτοις περὶ ἀγῶνας ἐπιμέλεια γυμνικοῦς καὶ Διονυσιακούς³⁾. Quid autem iam vidimus? Demetrius re vera γυναικονόμους instituit, choros et Homeristas in theatrum introduxit, magistratui certo curam χορηγίας mandavit, agonothetam eum constituisse Ferguson suspicatus est⁴⁾. De magistratibus, qui νομοφύλακες vocabantur, posthac agemus.

Nonne revera, ut von Wilamowitz vult⁵⁾, magistri praecepta ei cordi erant? At consuetudini τοῦ ζῆν ὡς τις βούλεται, quam viri populares laudibus efferebant, τὸ εὖ ζῆν praeponens facere non potuit quin invitus multis in odium veniret et tyranni nomine increparetur. Accedit quod Athenienses illam mediocritatem neque noverant neque diligebant, cum posteros laudibus eam extulisse nemo ignoret. Sic facile intellegi potest antiquos tam varie de eo iudicasse: cum enim Plutarchus monarcham eum fuisse putet, Strabo τὴν δημοκρατίαν eum restituisse dixit⁶⁾. Quae Aristotelis ipsius sententia fuisset? Ἔστιν, inquit, οὐκ ἔλαττον ἔργον τὸ ἐπανορθῶσαι πολίτειαν ἢ κατασκευάζειν ἐξ ἀρχῆς⁷⁾. Mirum in modum haec verba cum Strabonis et Ciceronis⁸⁾ iudicio consentiunt.

1) Politic. VI (IV) 1295b et 1296a; cf. etiam Politic. VII (IV) 1296b: δεῖ δ' αἰεὶ τὸν νομοθέτην ἐν τῇ πολιτείᾳ προσλαμβάνειν τοὺς μέσους. Theophr. fr. 78.

2) Politic. VII (VI) 1321b et 1322b.

3) Polit. VII (VI) 1322b.

4) Hellen. Athens p. 57.

5) Arist. und Athen I p. 236.

6) Phaedrus V I: Demetrius, qui dictus est Phalereus, Athenas occupavit imperio improbo; Plut. Dem. 10: λόγῳ μὲν ὀλιγαρχικῆς, ἔργῳ δὲ μοναρχικῆς; Strabo IX 398: οὐ μόνον οὐ κατέλυσε τὴν δημοκρατίαν, ἀλλὰ καὶ ἐπηνόρθωσεν.

7) Politic. VI (IV) 1289a.

8) Cf. supr. p. 89¹.

Transeamus autem ad tertium genus legum quas tulit; nempe earum quae ad rem publicam administrandam pertinebant. Quarum fere nulla est nota: at imprimis has leges ei cordi fuisse inde apparet quod eo praefecto Athenis νομοφύλακες leges tuebantur qui magistratus antiquis temporibus constituti aetate dominationis popularis aut sublatis aut magistratus inferiores facti esse videntur. Quo munere functi sint investigare cum difficile est tum operae pretium. Discipulum enim Aristotelis putasse leges velut fundamentum totius rei publicae esse defendendas quis miratur? ¹⁾ In imperio populari semper erat timendum ne leges tollerentur vel plebiscito temere mutarentur; qua de re Aristoteles haec aurea verba scripserat: Οἱ δημαγωγοὶ αἰτιοὶ εἰσι τοῦ εἶναι τὰ ψηφίσματα κύρια ἀλλὰ μὴ τοὺς νόμους, πάντα ἀνάγοντες εἰς τὸν δῆμον. Εὐλόγως δὲ ἂν δόξειεν ἐπιτιμᾶν ὁ Φάσκων τὴν τοιαύτην εἶναι δημοκρατίαν οὐ πολιτείαν· ὅπου γὰρ μὴ νόμοι ἄρχουσιν, οὐκ ἔστι πολιτεία ²⁾. Populi imperium tollere noster nolebat, damna eius frangere cupiebat. Qua arte id consilium perficere conabatur?

Philochorus de Demetrii temporibus agens haec scripsit ³⁾: Νομοφύλακες ἕτεροὶ εἰσι τῶν θεσμοθετῶν· οἱ μὲν γὰρ ἄρχοντες ἀνέβαινον εἰς Ἄρειον πάγον ἐστεφανωμένοι, οἱ δὲ νομοφύλακες στρόφια λευκὰ ἔχοντες, καὶ ταῖς θεαῖς ἐναντίον ἀρχόντων ἐκαθίζοντο καὶ τὴν πομπὴν ἔπεμπον τῇ Παλλάδι· τὰς δὲ ἀρχὰς ἠνάγκαζον τοῖς νόμοις χρῆσθαι, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ ἐν τῇ βουλῇ μετὰ τῶν προέδρων ἐκάθηντο, κωλύοντες τὰ ἀσύμφορα τῇ πόλει πράττειν· ἐπτὰ δὲ ἦσαν, καὶ κατεστάθησαν, ὡς Φιλόχορος, ὅτε Ἐφιάλτης μόνῃ (leg. μόνα) κατέλιπε τῇ ἐξ Ἄρειου πάγου βουλῇ τὰ ὑπὲρ τοῦ σώματος. Pollux ⁴⁾ autem haec de iisdem tradidit: νομοφύλακες ἐστεφάνωνται μὲν στροφίῳ λευκῷ, τὴν δὲ πομπὴν πέμπουσι τῇ θεῷ, τοῖς δὲ προέδροις ἐν ἐκκλησίαις συγκαθίζουσι,

1) In or. Dinarchi contra Himeraeum ante annum 321 habita iam νομοφύλακες nominantur; sed cf. de hac re Ferguson in Klio l.l. p. 272 et Harpocration s. v.

2) Politic. VI (IV) 1291 a.

3) servata in Lex. Rhet. p. 673.

4) VIII 94. Aliter in Lex. Seguer. V p. 283, 16: ἄρχοντες οἱ ἐν ἐκκλησίᾳ καὶ ἐν βουλῇ μετὰ τῶν προέδρων καθήμενοι καὶ ἀναγκάζοντες αὐτοὺς τοῖς νόμοις χρῆσθαι καὶ κωλύοντες ἐπιψηφίζειν εἴ τι εἴη παράνομον ἢ ἀσύμφορον τῇ πόλει.

διακωλύοντες ὅσα μὴ σύμφεροι. Summos magistratus eos fuisse haec verba demonstrant; conicere licet eos iam antiquitus vittis albis esse ornatos et Palladis pompam duxisse, sed Demetrii demum aetate in comitiis et in senatu iuxta praesides consedissee, prohibentes effici quae rei publicae damno essent, et magistratus legibus uti coëgisse; nam illa ad speciem dignitatis, ex antiquis temporibus servatam, haec ad ipsum officium, quod Philochorus Demetrii aetati tribuit, pertinent.

Id munus a dominatu populari alienum fuisse et primo conspectu apparet et Aristoteles docet ἀριστοκρατικόν id esse affirmans ¹⁾; id quod res ipsa declarat: nam δοκεῖ εἶναι τῶν ἀδυνάτων τὸ εὐνομεῖσθαι τὴν μὴ ἀριστοκρατουμένην πόλιν ²⁾. Sed ne oligarchiae quidem conveniebat; nam Aristoteles l.l. ipsis verbis distinguit inter προβούλους, qui erant ὀλιγαρχικόν, et nomophylaces, qui erant ἀριστοκρατικόν ³⁾. Itaque in tali magistratu constituendo iterum viam mediam Demetrius quaesivit. Neque autem ab institutis democraticis plane eum abhorruisse et tota eius administrandi ratio et verba Strabonis supra ⁴⁾ allata docent. Immo hic quoque democratiam frangere noluit, damna eius tollere cupivit.

Quid autem aetate dominatus plebis fiebat, cum aliquis rogationem ferebat aut legibus aut rei publicae commodo repugnantem? Tunc civi cuilibet γραφὴν παρανόμων vel γραφὴν νόμον μὴ ἐπιτήδειον θεῖναι in eum et in magistratum, qui comitiis praeerat, deferre licebat. Quin etiam lex lata differebatur, si quis iurabat se talem γραφὴν delaturum ⁵⁾. Quae consuetudo antiquitus leges contra libidinem mutandi defenderat; sed iam Aristophanis aetate ⁶⁾ eadem multarum calumniarum causa facta erat; nam aut subornatus aut odio incitatus quivis tali iureiurando interposito contiones detinere poterat. Quam ob rem Demetrius talem γραφὴν et ὑπωμοσίαν

1) Politic. VII (VI) 1323 a.

2) Politic. VI (IV) 1294 a.

3) Idem non discernit inter eos Polit. l.l. 1298 b: προβούλους καὶ νομοφύλακας; sed plerumque non bene distinguitur inter oligarchiam et aristocratiam; cf. Newman The politics of Aristotle I p. 497¹.

4) p. 94⁶. Cf. etiam Strabo IX c. 398: καὶ γὰρ εἴ τι μικρὸν ὑπὸ τῶν Μακεδονικῶν βασιλέων παρελυπήθησαν (οἱ Ἀθηναῖοι) ὥσθ' ὑπακούειν αὐτῶν ἀναγκασθῆναι, τὸν γε ὀλοσχερῆ τύπον τῆς πολιτείας τὸν αὐτὸν διετήρουν.

5) Cf. Lipsius, Das Attische Recht und Rechtsverfahren p. 384 sqq.

6) Cf. Plut. 725 cum not. v. Leeuwen.

non plebis arbitrio permisit, sed solis magistratibus, ad id ipsum constitutis et *μετὰ τῶν προέδρων* sedentibus, ius intercedendi concessit. At fieri non potuit, ut magistratus ipsi de hac re decernerent; nam si id voluisset, comitia sustulisset neque civibus suis ius suffragii dedisset. Itaque conicere licet magistratus illos, si quis rogationem civitatis utilitati contrariam ferret, *τὸν πρόεδρον ἐπιψηφίζειν* prohibuisse iurando se *γραφὴν παράνομων* vel *γραφὴν νόμον μὴ ἐπιτήδειον θεῖναι* esse delaturos, de qua accusatione populi iudicio decernere liceret ¹⁾. Fieri non potuit quin rogationis lator, si tale quid magistratus minarentur, statim a sua sententia discederet. Sed specie populi iudicii servata hoc quidem Demetrius effecit, ut plebis libido tolleretur. Nam quamquam unicuique civi tunc quoque talem *γραφὴν* deferendi ius fuisse praesumere licet, tamen ne unum quidem metu Demetrii territum eo iure uti ausum esse non solum verisimile est sed etiam confirmari videtur hac re quod Demetrio praefecto apud auctores quidem talis accusationis nusquam mentio fit, Demetrio autem expulso statim ea commemoratur ²⁾.

Quibus magistratibus autem talem *γραφὴν* ad populi iudicium deferre licebat? Antiquis temporibus thesmothesis ³⁾; at haud verisimile videtur magistratus ipsos suam accusationem aliis magistratibus tradidisse. *Quam ob causam satis constat nomophylacibus ipsis ius τοῦ εἰσαγγεῖν fuisse.* Si autem ita res se habet, iam intellegi potest quam ob causam Philochorus cum thesmothesis eos comparaverit. Nam quamquam *ἕτεροι ἦσαν τῶν θεσμοθετῶν*, tamen facile fieri potuit ut fere eodem munere fungentes iidem haberentur.

Cavebant igitur ne quid contra leges fieret. Num aliis quoque muneribus functi sint, difficile est dictu. Nam ipsum nomen multa munera indicare potest quae tamen alibi et alio tempore alia fuisse constat. ⁴⁾

1) Fere eodem modo rem explicat Lipsius l.l. p. 36.

2) Diog. Laert. V 38.

3) Arist. Ἀθ. πολ. 59, 2.

4) Ut pauca exempla afferam, apud Plat. Leg. 755 sunt senes, apud quos summum iudicium est; apud Xen. Oec. 9 magistratus qui *ζημιούσι ἢν τις παρὰ τοὺς νόμους ποιῆ*. Etiam in titulis *νομ.* nomíantur, qui tamen plane aliis muneribus funguntur. Fit etiam ut falso idem putentur atque *οἱ ἔνδεκα* vel *οἱ δεσμοφύλακες* (Pollux VIII 102; cf. Schol. Vesp. 1108; utrumque in F. H. G. II 365).

At quibus id ipsum munus τοῦ νομοφυλακεῖν antiquioribus temporibus mandatum erat? Areopagitis, si quid Aristoteli credimus. Ille enim de Draconis legibus agens Ἡ βουλὴ, inquit, ἢ ἐξ Ἀρείου πάγου φύλαξ ἦν τῶν νόμων καὶ διέτηρει τὰς ἄρχας ὅπως κατὰ τοὺς νόμους ἄρχωσιν, et melius τὴν τῶν Ἀρεοπαγιτῶν ἔταξεν (ὁ Σόλων) ἐπὶ τὸ νομοφυλακεῖν ¹⁾. Ephialtem autem τὴν Ἀρεοπαγιτῶν βουλήν καταλῦσαι nemo ignorat. Fortasse igitur conicere licet eum munus τοῦ νομοφυλακεῖν certis magistratibus tradidisse, (id quod Philochorus loco supra allato ipsis verbis indicat) qui νομοφύλακες nominabantur; postea autem illum magistratum esse sublatum sed a Demetrio Phalereo in pristinam dignitatem esse restitutum. ²⁾

Ut cumque autem illa res se habet, his omnibus expositis hoc mihi constare videtur Demetrium in re publica haec studuisse, primum ut quam maxime posset omnia ad leges et magistratus referret, ea tamen condicione ut populi libertatis rationem haberet; deinde ut pacem quietem felicitatem civium et rei publicae auget, artes coleret, possessionis et iuris securitatem praeberet; tertium ut pauperes sublevando civibus plerisque iura dando omnium amorem sibi conciliaret et aristocratiam veram conderet. Quid pulchrius in viro antiquae civitati praefecto excogitari potest? Nil mirum igitur Lagidas, quorum regnum iisdem fundamentis nitebatur, talem virum non solum ad se invitasse sed etiam eius viribus et virtutibus in legibus dandis et in artibus excolendis esse usos. Quo modo id fecisse tradantur postea videbimus.

(Continuabitur).

Quid in Anonym. Argentinensi § 9 legendum sit non constat. Etiam est cavendum ne arbitremur omnia quae scripserit nostrum re vera perfecisse; qua de causa fr. eius 10 et 11 (F. H. G. p. 364) huc afferenda non sunt.

1) Ἀθ. πολ. 4, 4; 8, 4.

2) Cf. tamen Wilamowitz Arist. und Athen II 192 et Ed. Meyer G. A. III § 318 A.